EPISTOLA

CVIVSDAM ANONYMI CATHOLICI, QVA SOLATVR PRÆdicantes Lugentes Sortem HVNNII & Symmystarum ob rem infeliciter & mendaciter ab illis RATISBONAE gestam


CVM GLOSSIS ORDINAriis Anonymi

IN NOTATIONES HVNNII PRÆdicantis Witebergensis.



INGOLSTADII,
Ex officina Typographica EDERIANA, apud ANDREAM ANGERMARIVM.

M. DCII.



EPISTOLA ET NOTÆ DE COLLOQVIO RATISBONENSI.

Anonymus Lectori.

DEDICAT *Hunnius notationes suas in Epistolam Anonymi Poëtæ quidam: Ego meas tibi, mi Lector, quisquis es: quisquis futurus es. Hilariter igitur accipe, quod hilari mente damus; Et si quid hilariusculè notis his interseretur, id gaudio; quod Hunnij notationes pepererunt, adscribe. Abite curæ. Exporrigere nonnihil frontem iuuat, dum tam lepidi Prædicantis notationibus notas inuro. Labor gratus & facilis, ac proinde iucundus. Vbi receptui canetur veteri illa tuba,* θύραζε κᾶρες οὐκ ἔτ᾽ ἀνθεστήρια,

Foras Cares, non amplius anthesteria. *Phrontisterium & φροντίδας fronte graui repetemus. Ludum senecæ nunc ludam postea redibo ad eiusdem Epistolas, aliosque seueros & caperatos libellos. Bilem si Hunnio in nares conciuero,* ἔντι γὰρ ὀξὺς, καὶ οἱ ἀεὶ δριμεῖα χολὰ ἐπὶ ῥινὶ κάθηται. *Paratum leniendi, pacandique remedium habeo. Scribit Plinius, rabiem hircorum, si mulceatur barba, mitigari. Quid hac ratione promptius? Si carula colla tumescant, haud segnius & secius tragi huius barbitium, Menippeo longè densius & productius, arripiam, quàm apud Homerum* ἀργυρόπεζα Θέτις ἀνθερεῶνα, *hoc est*, mentum *Iouis.*

Verùm benè mihi. benè Hunnio. ad notas accedo: Si quid tamen prius in Epistolam dedicatoriam notauero. Inscribit notationes suas Poëtæ, & quidem coronato. Rectissimè. Quo enim magis decorè mittantur figmenta, quàm ad Poëtam figmentorum Patrem. Non valet hic vetus illud: In siluam ne ligna feras. *Nec illud:* vlulas Athenas. *Et cur valeat? Maior est qui dicit,* Habenti dabitur. *Ergo coronatus lauru Poëtica à Delio, coronetur nouo mendaciorum*

ciorum & calumniarum serto ab Hunnio, qui Poëtæ suo gratulatur exilium. Ex Carinthia enim nuper pulsus Francofortum venit, ob Lutherum. Laudo affectum amici in amicum. vtinam tibi pari gratulatione vicem rependere posset, aut ego vice illius: facerem κηρόθεν, & vt prisci dicebant, animitus. Gratulans gratularer tibi, si ex Saxonia tu tuique gregales mitteremini cum Ouidio Tomos, vbi, vt inquit Tertullianus, sol nunquam liber, vnus aër, nebula; totus annus, hybernum: omne, quod flauerit, Aquilo est. Interim miror stultitiam tui Nasonis, qui propter Lutherum vertere solum voluerit. Quisquis pro parte Donati, ait S. Augustinus, vel fimbriam vestimenti perdiderit, cor non habet. Quanto magis corde caret, qui patriam propter vilissimum & diobolarem Apostatam perdit.

Exilij culpam confert Prædicans in Iesuitas: Hoc scilicet restabat. Nimirum quicquid toto terrarum orbe geritur, id si Prædicantibus non arrideat, Iesuitarum consilio & impulsu geritur. Etiam Carlstadius, credo, Witeberga à Iesuitis, etsi necdum natis, olim eiectus

 fuit,

fuit, vt & nuper Huoberus, & Augusta Mylius cum suis Symmystis; Ratisbona nescio qui Smidelino minus morem gerentes: aliunde plurimi alij aut cum Concordistis concordare, aut cum hoc vel illo Pracone primas sibi vendicante, consentire detrectantes. Verentur Iesuita, ne ad similitudinem veteris quidem, vt ait S. Augustinus, sed à temporibus Christianis capti prouerbij: Non pluit Deus, dic ad Christianos: *effingatur nouum.* Prædicantes & Hæretici eiecti sunt, dic ad Iesuitas. *Eiecti sunt olim publico Imperatoris decreto Origenista ex Palæstina & Ægypto. Culpa adscribebatur, vt nūc Iesuitis, ita tunc S. Hieronymo: in quos ironicè idem S. Pater.* Imperatorum quoque scripta, quæ de Alexandria & Ægypto Origenistas pelli iubent, me suggerente dictata sunt. Vt Romanæ vrbis Pontifex miro eos odio detestetur, meum consiliū fuit. Vt totus orbis post translationem tuam in Origenis odia exarserit, quem antea simpliciter lectitabat, meus operatus est stylus. Si tantum possum, miror cur me non metuas.

Cæterum ego sæpe miror Iesuitas, hoc καλὸν

ἀγαθόν.

ὄνειδος, pulchrum probrum, *vt Euripides loquitur, sibi gloriæ non ducere, & à vobis seu verè seu falsò obiectum, ambabus manibus non acceptare: vel Prædicantium exemplo, quibus nullus candidior sol illucet, quam quo Papistã ad suas partes pellexerunt, & quid dico* pellexerunt? *nimis mite hoc verbum, sed minis, vi, est cum & carcere, adegerunt & coëgerunt: aut si manus dare noluerit, domo fortunisque omnibus exactum euersumque in exilium eiecerunt. Quid magni,* si vna manus Græcanica decem Galilæos trucidauit, *aiebat olim Iulianus Apostata, sic & Prædicantes; Quid refert, si vno die non vna decas, sed decies & sæpius repetita Pontificiorum decas aliò migrare iussa sit. Hæc videlicet Islebiensis Euangelij lex est, hæc consuetudo. Si tu tua opera efficeres, vt Iesuitæ aliquibus ex locis expellerentur, triumphũ, opinor, & supplicationes ad omnia Deorum puluinaria, veterum ritu, tibi decerni postulares: Tantum abesset, vt hoc tam eximium facinus tacitum haberes, aut corde premeres. Tum primũ ineptissimus ille anagrammatismorum textor tibi accineret,* Ah diuinus:

viges.

viges. Ah diuinus genius. *Cur non:* Ha diuinus viges: *nam illud mœroris, hoc lætitiæ index est.* Quis Hæreticorum non despicit Ecclesiasticos, *inquit S. Hieronymus.* Quis non exultat in malis eorum, si quando propter populi peccata persecutioni traditi fuerint: *Quod tibi tuisque licere vis, id aliis ne vetes, & quod tibi dari vis laudi, id aliis crimini ne dederis. Risi, cum* exulem Christi *legi. Crede mihi, exul Lutheri, non est exul Christi. Quod S. Augustinus de Martyribus, hoc ego ad exules accommodabo.* Martyres *(exules)* testes dicuntur, testes autem Christi, veri testes sunt. Isti autem *(Lutherani)* falsi testes inuenti sunt, *æquè ac olim Donatistæ.*

Ominatur Hunnius, & tantum non disertis verbis adprecatur, auctoribus huius exilij diuinã vindictam, quasi breui subsecuturam. μάντι κακῶν. *Forte auguratur fore, vt iterum existat quispiam ex Lutheri propagine, qui aliquod* ὀχύρωμα *in manus Getici Tyranni tradat, causamque suorum exulum proditione vindicet: Vt Dæmones crebrò prædicunt ea quæ vel suo vel aliorum ministerio facere decreuerunt, ita & Prædicantes diuinant futura, quæ futura,*

tura, quæ futura non essent, si ipsi arioli simul & malefici esse nollent. Interim Hunnianus exul exilium lectione Tomorum Lutheri, maximè opusculorum, quæ in sua Pathmo scripsit, leuare potest. Ea sola voluptas, solamenque mali, de collo biblia pendent.

Sub finem dedicationis mittit Prædicans per suum Poëtam salutem, quam non habet, Prædicanti cuidam, cui nomen Figulo. *Placet amor inter figulos. Verum esse desiit, vt video,* καὶ κεραμεὺς κεραμεῖ φθονέει. figulus figulo inuidet. *Verte stylum Hesiode. En quantus amor inter duos figulos, verè figulos â fingendo. Fortè in figuli huius figlina fingere didicit Hunnius, non ollas aut cacabos, sed fraudes, sutelas & dolos. Sed sat præfationis in præfationem. Loquatur nũc Anonymus.*



Textus Epistolæ.

CIrca nuperæ disputationis Ratisbonensis euentum, quod ais, aduersarios passim victoriam canere, equidem non miror, suo id more aũgt, vt qui victi sunt, vicisse existimẽtur.

NOTÆ IN NOTATIONES HVNNIANAS.

NOtat Prædicans, à se suisq; meritò victoriam prædicatam fuisse; cum verè parta fuerit. Non nego Hunni, victoriam adeptus es, eamq; multiplicem. I. Impudentiæ. II. Loquacitatis & verbositatis. III. Inscitiæ & imperitiæ. IV. non obseruati, imò perturbati ordinis in disputando; V. Fugæ & effugij cum intra præscriptos limites manendũ & certandũ erat. Vicisti omnes saltando extra oleas. Hanc quintuplicem palmam nemo tibi eripiet, quam vbicunq; prædicaueris, verè prædicabis. Vicisti Hunni; eo modo quo vicerunt Fortunatus Manichæus, Maximinus Arianus, & Pascentius itidem Arianus; congressi cum S. Augustino. Vicisti denique eo modo quo falsitas veritatem vincere solet: scis quomodo vincat? Falsò. Hoc enim priuilegium sola & vnica veritas habet, vt verè vinci nequeat, falsò queat. Sed falsa victoria, & nulla victoria sunt synonyma. Quod S. Augustinus Pascentio, hoc ego tibi loco Iesuitarum. *Facile est, vt quisq; Augustinum vincat; videris vtrum veritate an clamore. Non est meum dicere, nisi quia facile est, vt quisque Augustinum vincat, quanto magis vt vicisse videatur, aut etsi non videatur, vicisse dicatur, facile est. Hoc nolo pro magno putes: nolo pro magno appetas: Non enim bonum hominis est, hominem vincere, sed bonum est homini, vt eum veritas vincat volentem, quia malum est homini, vt eum veritas vincat inuitum. Nam ipsa vincat necesse est, siue negantem siue confitentem. Nolo ergo attendere quomodo vincatur Augustinus, qualiscunq; vnus homo,*


homo, sed attende potius vtrum vinci posit petra illa, ſupra quam fundata eſt Eccleſia aduerſus inferorum portas, omneſq; ſectarios inde emiſſos inuicta. veriſſimè Damaſcenus : *nulla vnquam Hæreſis de Eccleſia triumphauit. Sed ſemper quidem furit, at poſtquam aliquantum progreſſa eſt, ſtatim euaneſcit.*

Textus Epiſtolæ.



EC mirum eſt fidem eos humanã violare, qui ne Deo quidem integrè ſeruarunt.

NOTÆ IN NOTATIONES HVNNIANAS.



Extus hic attulit Hunnio *Cordolium. Bona verba*; exclamat. Bona verba libenter daremus, ſi bonis dignus eſſes. Cum *Care cariza*: monet vetus verbum. Qui tangi non poteſt *vrbanatim*: tangi debet *ruſticatim*, Fidem diuinam amiſiſti, quia Hæreticus es: Fidem humanam; quia Prædicans, hoc eſt, mentiens es. Idem enim Prædicans & mentiens. Apud Indos lex fuit, vt qui ſemel mentitus eſſet, ab omni Magiſtratu, honore, munere exſors haberetur & repulſus. Bone DEVS, vbi nam eſſent Prædicantes ſi hæc lex nunc vigeret? Quo quis enim mendacior, eò ad Prædicantis miniſterium aptior & habilior exiſtimatur. Miſer igitur es vtraq; hac fide amiſſa. *Fidem qui perdit, quò ſeruet ſe in reliquum?* quærit Syrus. *Omnia* perdidit, qui fidem perdidit. *Fidem qui perdit*, ait ille idẽ Syrus, *perdere vltra nihil poteſt.*

Prudentius feciſſes Hunni, ſi cum Plautino Ballione encomia tibi data agnouiſſes, grataq; manu accepiſſes. cum ille audiret, *ſacrilege, ſocio fraudè, legirupa, periure, fraudulente*, non exclamauit vt tu : *Bona verba. Fauete linguis*; εὐφημεῖτε. Sed quid ? *Vetera vaticinamini. Verberauiſti patrem atq; matrem. Atq; occidi quoq;, potius quàm cibum præhiberem, nũ peccaui quippiam?* En quàm ſua elogia non reſpuit. Cur tu tua? *Dicito mihi ô hypocrita* ait auctor operis imperfecti; *ſi bonum eſt eſſe bonũ* (& fide dignum) *vt quid non vis eſſe : quod vis apparere? Si verò malum eſt eſſe malum* (& fide indignum) *quid vis eſſe, quod non vis apparere? Nam quod turpe eſt apparere, turpius eſt eſſe; quod autem formoſum eſt apparere, formoſius eſt eſſe. Ergo aut eſto quod appares, aut appare quod es.*

Textus Epistolæ.

EGo sanè, qui disputationi ab initio ad finẽ vsq; præsens fui, & quædam etiam notatu digniora memoriæ causa in chartas conieci, ita hac disputatione affectus fui, vt si hactenus in hæresi & natus & educatus fuissem, vel hoc momento ad Catholicorum castra transirem. Vsq; adeo manifestè apparuit ex perpetua aduersariorum tergiuersatione eos sua tueri nullo modo posse.

Notæ in notationes Hunnianas.


HOc si ita est, ait Prædicans, *euenit tibi, quod prouerbio iactatur*, ὄνος λύρας ἤκουσε καὶ σάλπιγγος ὗς. *Asinus lyram audiuit, & tubam sus.* Imò homo ratione præditus audiuit ὄνου λύραν, καὶ σάλπιγγ' ὑός *Asini lyram & tubam suis.* Quos λήρους non ἐλήρησε delirus iste Lyranus? Quos grunnitus rostrata illa sua tuba non edidit iste Grunnius? Mouisti me, mi lyricen & tubicen, longè plus quàm Polyphemus Doridem, cũ suam Galateam decantaret. ἤκουσα μὲν αὐτοῦ ᾄδοντος, aiebat illa ὄνον ἄν τις ὀγκᾶσθαι ἔδοξε. *Audiui canentem: Asinum rudere dixisses.* Quoties animo occurrerunt illa: ὄνος πρὸς αὐλόν; ὄνος πρὸς λύραν: *Asinus ad tibiam & lyram*: cum stuporem tuũ accuratius perpendi: Nec immemor fui illius; *sus per rosas & amaracum*; quoties arrepto Bibliorum codice, plura legebas, quàm intelligebas.

Quod sæpius tergiuersatus es, ignosco. Ita solet *iniquæ mẽtis asellus*, qui officium non facit, nisi caput & latera fuste saligno aut iligno probè dedolentur. Protocollum, ad quod hic prouocas, colli tui testis est, multaq; mendacia tuorum symmystarum & tua *decollat*: Inprimis hoc, quo Relationẽ ornasti: Metui à Iesuitis Protocolli publicationẽ Quomodo metuitur, cùm editio catholicorũ vestram anteuerterit? Vel ob hoc mendacium iure tibi lector adprecetur, quod Poëta cuidã impuro: Miselle Doctor, ȣ tibi sit improbo, tuumq; nomen θ signet sectilis.

Textus Epistolæ.

ET vt in specie intelligas quãtas ignominiæ notas ex hac disputatione Prædicantes reportarint, aliquas tibi breuiter recensebo ex iis, quas ipsemet paucis inter disputandum annotaui, bona tamẽ fide, ita vt non dubitem me hac in re ad ipsum aduersariorum protocollum, si quãdo prodibit, referre.

Notæ in notationes Hunnianas.



CRatularis tibi de nomine Prædicãtis. *Malumus*, inquis, *esse Prædicantes, quàm Missificantes.* μηδ᾽ εἰς φθόνος. Ama hãc tuam *Thaidem* efflictim, vt voles: riualis nõ ero. Illud miror, quod huic nomini tuo auctoritatẽ nõ cõciliaueris ex scriptura, allatis aliquot testimoniis. Nam Luc. 4. scriptum est, *& erat Prædicans in Synagogis Galilææ.* En quàm prisca res Prædicans. Et ad Rom. 10. *Quomodo audient, sine Prædicante?* certè, qua arte & peritia hæreseos tuæ dogmata ex scriptura pingis, eadem potes & nomẽ, nisi velis ab Homerico Talthybio aut Eurybate Prædicãtis nomen deducere. Fuerũt enim κήρυκες, hoc est, *Prædicãtes*, aut ex Batrachomyomachia ab aliquo Hypsiboa, aut Craugaside, aut Physignatho.

Nomen *Missificantis* respuis, sed imeritò. Nam Prædicantes sũt verissimi *Missificãtes* nõ à missa, quæ sacer cult⁹, sed aut à voce *missa* quæ Gramaticis adiectiuũ: An nõ enim *missificãtes*; qui fidem, religionem omneq; honestatẽ missã faciunt: aut à missa, quæ *missio*: missificantes nãq; sũt, qui missã, hoc est, missionẽ dant, pudori, integritati, iñocẽtiæ, totiq; virtutũ venerãdo cœtui. Salue igitur mi Prædicans, salue iterũ mi *Missificans*: qui verbo & exemplo toties canis: Ite pudor, integritas, vosque priscæ & auitæ virtutes, Missa, seu missio est. ilicet.

Rides hic rasos vertices. Nil à persona, quam sustines, alienum facis. Barba es Æsculapius, capillo Syluanus vel Faunus, non enim dicam, intonsus Cynthius: nimis honorificũ hoc vocabulũ. *Pan Panas amat, Polyphemus Polyphemos.* μύρμαξ μύρμακι φίλος, Dicã clarius vt capias. Asin⁹ asino, & sus sui pulcher, καὶ γὰρ ἡ κύων κυνὶ κάλλιστον

εἶναι φαίνεται καὶ βοῦς βοΐ *Canis pulcherrimus videtur cani, & bos boui.* Catalogum emblematum vestrorum annotaui, ferè tam prolixum, quàm est Catalogus Homericus, quo exercitum ad Troiam profectum καταλογάδην percenset: quem si integrum adscribere vellem, *ante diem clauso componet vesper olympo*, quam centesimam eius partem exsequar. Ergo *summa sequar fastigia.*

Pandite nunc Helicona Deæ cantusq; mouete,
Vos meministis enim Diuæ & memorare potestis

Effata illa Hunniana & Hunnianorum, partim impia, partim absurda, partim imperita, partim asystata: Agmen agat hoc, ex quo cætera omnia. RATIO CÆCA EST. Tua vtiq; mi Hunni. Vtinã cum cęco illo mẽdico *secus viam sederes*, clamaresq;, IESV *fili Dauid miserere mei*, interrogantiq; quid petas; diceres, *Domine vt videam.* Sed lepidum: quod Prædicantem, qui sua ipsius confessione cæcus est, viæ ducem sibi elegerunt. Nonne *cæcus si cæco ducatum præbeat*, ambo in foueam cadunt? Aut si ratio eius lumen habet; non igitur cæca est. Quod igitur hoc lumen? Forte lucerna Diogenis. Sed vide Hunni, quam in te beneuolo sim animo, veteri versu & verbo vero. τυφλὸς τά τ' ὦτα, τόν τε νοῦν, τά τ' ὄμματ' εἶ, Auribus, & oculis & animo cæcus es.

II. *Præcepta affirmatiua semper & pro semper obligant. Quare & quocunq; tempore cuicunq; rationem fidei poscenti, reddenda est ratio. Quia quicquid præcipit Petrus, id est necessarium: Petrus præcipit quouis tempore reddendam esse rationem fidei, ergo est necessarium semper & quouis tempore.*

III. *Infantes in lege naturæ mortui sine vllo remedio expiandi originale peccatum, saluati sunt.*

IV. Et hoc ideo præcisè *quia erant ex semine Abrahæ*, licet Abraham nec dum natus esset.

V. Infantes masculi post institutam circumcisionem sine circumcisione defuncti à beatitudine non exciderunt: quia scriptum est, ego ero DEVS tuus, & semnis tui post te.

VI. Infantes sine baptismo mortui consequuntur salutem. VII. *Quia sunt ex semine Abrahæ. Etiam sine baptismo.* VIII. Hoc ideo dicẽdum, *ne parentes careant solatio.* IX. Ideo quia Christus est *propitiatio pro peccatis totius mundi.* X. *Cathedra Moysis adhuc durat*: non obstante illo Domini in cruce, *consummatum est.* XI. *Non dantur traditiones*, & tamen libros Moysis fuisse Moysis; *non constabat nisi ex traditione.*

XII. *Nullus*

XII. *Nullus vnquam punitus fuit propter transgreßionem legis non scriptæ, quod ad dogmata & cultus attinet.* Non ergo puniti sunt idololatræ, qui ante bibliorum libros conscriptos in Idololatria ex viuorum numero abierunt. XIII. *Euangelium S. Matthæi esse Canonicum, non est articulus fidei.* XIV. *Euangelium Nicodemi non esse Canonicum non est articulus fidei, non dogma.* XV. *Christus non se, sed Moysen fecit Iudicem in nouißimo die.* XVI. Et hoc illis verbis Ioann. 5. *Est, qui accusat vos Moyses.* XVII. Ex quo rectè infertur; *accusatorem & iudicem apud Hunnium non modò vnum & eundem; sed etiam vnum & idem esse.* XVIII. *Non se, sed sermonem suum fecit Christus Iudicem in extremo iudicio.* XIX. *Aderunt ipsi bibliorum codices; & quidem materiales isti; quibus nunc vtimur.* Sed cuius editionis? cuius linguæ?

XX. *Iudex non debet ita dicere sententiam, vt ab vtraq; parte perspicuè & euidenter intelligatur.* XXI. *Subditi sunt iudicum iudices; quia de illorum decretis possunt & debent iudicare.* XXII. *Pharisæi in moribus externis nihil habuerũt, quod magnopere reprehendendũ esset.* Iniuria ergo affecti sunt à Domino; qui grauissimè in mores illorum, etiam externos, inuectus est. XXIII. *Celebratio Paschæ non est cultus diuinus.* Quem ergo colit Hunnius per Pascha suum? XXIV. *Pascha potest absque hæreseos nota alio quàm dominico die celebrari:* licet Augustinus, Tertullianus, Epiphanius, Theodoretus, Damascenus & alij Quartadecimanos pro hæreticis habitos scribant, quod Pascha non cum Christianis celebrarent. XXV. *Sententia Synodi Nicenæ aduersus Arium non fuit vltima & absoluta.* XXVI. *Infantes quando baptizantur, actu credunt.* XXVII. Et hoc inde rectè concluditur, *quia etiam Ioannes Baptista in vtero materno, actu credidit.* XXVIII. *Vituli aurei à Hieroboam erecti 3. Reg. 12. erecti fuerunt in honorem* DEI. Ergo & vitulus aureus in deserto. XXIX. *Ipsum verum* DEVM *vocabant Iudæi Baalim; eumq; in idolo illo colebant.*

XXX. *Pascha quale apud nos celebratur non est à* DEO *institutum.* XXXI. *Qui celebrationem Paschatis obtrudit quasi sit necessaria obseruatu, sub ratione cultus, is sit hæreticus.* XXXII. *Pharisæi Ioannis 5. prouocabant ad Moysen.* Sed vbi illa prouocatio in illo capite? XXXIII. Quod Epistola ad Romanos sit sacrosancta & canonica, *id non ex testificatione Ecclesiæ, sed ex internis* κριτηρίοις *habemus & desumimus.* XXXIV. *Verè & efficaciter me esse baptizatum debeo certo & EVIDENTER scire, aliàs fides mea ædificata esset supra arenam.* XXXV. *Nisi euidenter scirem & crederem, me efficaciter esse baptizatum, tum dubitarem*

bitarem de promissione DEI. Omissis aliis ineptitudinibus; dic Prædicans, quomodo euidenter scire, & credere simul consistant. Scio quid dici possit; sed nescio quid tu possis: & vt aliquid in hoc genere posses, non tamen te ab absurditate longè absurdissima; & falsi laqueis, quibus hæc propositio implicata est; explicares. XXXVI. *Scriptura requirit, vt de sui baptismi veritate & efficacia quisq; certus sit euidenter.* Sed vbi illa scriptura? XXXVII. *Sephora vxor Moysis fuit infidelis.* XXXVIII. Quia *si non fuisset infidelis, facilè scire potuisset* ex cap. 17. *Genesis ex illa tabula fœderali*, inquit Prædicans, *filios esse circũcidendos.* Et tamen cum Moyses in Ægyptum pergeret; Genesis nondum scripta erat: & tabulæ illæ, quas Prædicans vocat fœderales, nondum fabrefactæ. XXXIX. *Absurdũ est in hoc sæculo nõ posse finiri lites respectu partium litigantium; sed* DEVS *hoc absurdum tolerat. Minus* ergo Ecclesiæ suæ prospexit, quam quiuis alius publicus legislator, rerumq; publicarum institutor; qui in id vnum ante omnia incumbit, vt rationem ineat, qua controuersiæ componantur & sopiantur. Et nihil est absurdius; quàm lites in Republica tolerare. Sed benè habet: Prædicans absurdum hoc statim per euidentem contradictionem tollit. XL. *Quod* DEVS *ipse dixit, non est dictu absurdum.* DEVS *ipse dixit; Controuersias duraturas vsq; ad finem mundi: ergo non est dictu absurdum.* Et tamen paulò ante hoc absurdum erat: & DEVS hoc absurdum tolerabat. Verùm iam non est amplius nec dictu, nec factu, nec toleratu absurdum, postquam Prædicans per contradictionem, quæ prius asseruerat, euertit.

Vidi item & audiui permulta alia mira, noua; in historiam, Dialecticam, Grammaticam iniuriosa. Nam XLI. *Tertullianus fuit Episcopus Carthaginensis.* XLII. *Theophylactus Bulgariæ Episcopus vixit circa annum Domini. 600. cum minimùm duobus sæculis sit iunior.* XLIII. *Tertullianus inter latinos Ecclesiæ scriptores primus*: Falsum. Hunc enim ex Latinis antecesserunt Victor Pontifex & Apollonius; vt testatur Sanctus Hieronymus in catalogo scriptorum Ecclesiasticorum. XLIV. Nouum *pater noster* audiui. *Remitte nobis debita nostra*, sicut (& aliquando, *quemadmodum*) & nos remittimus. nequaquam *dimitte* & *dimittimus*: quia hoc priscius; illud recentius, ideo melius. *Ne nos inducas*; sine copula: *Et ne nos inducas*: non sine appendice consueta: *Quia tuum est regnum* Angliæ, Scotiæ, Daniæ, Noruuegiæ; & potentia tàm passiua; quàm actiua; tàm *materialis* quàm *formalis*. Quàm timui, ne, vt in Germanico, ita & in Latino, tandem antistrophen nobis adferrent.

ferrent: *Noster pater*, pro *Pater noster*. neuè: *panem quotidianum*, in vinum quotidianum transsubstantiarent: *Vinum nostrum quotidianum da nobis hodie*. XLV. *Syllogismum primæ figuræ imperitissimè retulit Hunnius ad secundã, nesciens quid sit prædicari, quid subiici*. XLVI. Maximopere mihi placuit iste syllogismus. *Qui credit, & baptizatus fuerit saluus erit: Ego credo & baptizatus sum, ergo mihi hoc est credendum, me fore saluum*. XLVII. Quid dicam de ingeniosissimis consequentiis, quarum ad aures meas allapsu beatus fui. *Christus est propitiatio pro peccatis totius mundi: ergo infantes olim mortui sine circumcisione salutem non amiserunt. Ergo etiam iam infantes sine baptismo defuncti saluantur*. XLVIII. *Baptismus fuit institutus ante passionem Domini, ergò etiam obligabat ante passionem Domini*. XLIX. *Ezechiel vidit quatuor animalia, ergo Euangelium S. Matthæi est canonicum*. L. *Moyses iussu Dei scripsit decem fœderis verba, hoc est, decem præcepta: Ergò quicquid vnquam Deus Moysi mandauit, id Moyses literis commendauit*. LI. *Latro in cruce fuit saluatus sine baptismo, ergo etiam infantes, qui sine baptismate moriuntur, à beatitudine non excidunt*. LII. *S. Paulus baptizauit aliquando integras familias, ergo euidens est ex sola scriptura infantes esse baptizandos, quia euidens est in illis familiis fuisse infantes*. LIII. *Sine fide impoßibile est placere Deo, ergo infantes actualiter credunt*. LIV. *Saluator totum mundum diuidit in credentes & non credentes, ergo infantes actualiter credunt*. O blitomamma: *non enim sunt ex non credentibus, ergo ex credentibus actu, ergo credunt, quia credens credit*. O plumbum; & si quid plumbo magis plumbeum.

Sed quis omnes huius classis consequentias enumeret? Non mihi si linguæ centum: λήγετε βωκολικᾶς μῶσαι ἴτε, λήγετ᾽ ἀοιδᾶς. Nec dum: sed μετ᾽ ὀλίγον LV. *Quando Hunnius non potuit probare, cœpit examinare & interrogare*. LVI. Minorem syllogismi de iudice à D. Gretsero propositi primo negauit, concessa maiore; postea pressus, eandem concessit negata maiore: iuxta illud Poëtæ; πάντα ἔναλλα γένοιντο, καὶ ἁ πίτυς ὄχνας ἐνέγκαι. *Omnia permutentur, & pinus pira ferat*. Verumque fiat falsum, & falsum verum. LVII. *Nulla vi intra legitimos disputandi cancellos contineri Prædicantes potuerunt*. Statim à Dialectica ad polylogiam garriendique & verbosè ocioseque declamitandi artem desilierunt. LVIII. *Ferè excidisset* συλός συλός *Hunnij*. Nisi Prædicantes circumsessitantes latera & aures Hunnij tutudissent, & vellicassent; iam ex paroxytono σύλος, natum fuisset oxytonum συλός; si in Atheniensi Prytanéo declamasset, plausum

tulisset ab auditoribus; eum videlicet, quem pedibus dare consueuerant, si quid in pronunciatione titubatum fuisset: Illud mirari subit, cum Notarij tam diligenter notarint fictitium illud Διδάσκατε, imò & typographi instinctu Prædicantium maiusculis in suo protocollo excuderint; cur Hunnianus συλᾶτε ab ipsis sit præteritus, & in vocem σύλος commutatus. An non tam grandis Doctoris συλόν & colossum in eminente & conspicuo loco collocatum oportuit? Quid verò tu ô Caipha? Ecce post tot annos mutatio nominis tibi subeunda est; Caaphas, quasi ex Capha Euxini natus esses, non Caiphas audis. Sed recipe animum. Non solus tu fortunæ ludibrium. Alios eadem sors tangit, nec viros tantũ, sed & loca. Balaam enim iam non est amplius Balaam, sed *Bileam:* Samson; *Simson:* Galgal, *Gilgal.* Caueat Pilatus, ne fiat *Palatus.* Quàm facilis enim labor Hungio aut Rungio vnum chamets aut patach primæ syllabæ subiicere: λήγετε βωκολικᾶς μῶσαι, ἴτε λήγετ' ἀοιδᾶς. Sed quid præmij cedet Hunnio pro his emblematis? αἶγά τε τοι δωσῶ διδυματόκον, ἐς τρὶς ἀμέλξαι, inquit ille pastor. καὶ βαθὺ κισσύβιον. *Capram ei dabimus gemelliparam, quam ter quotidie mulgeat, & vastum poculum,* vel si velit, κεραόν τράγον *cornutum hircum,* ἐς τρὶς ἀμέλξαι, vt eum in dies singulos *ter mulgeat.* Collegæ Hunnij libenter supponent cribrum. Quid eliges Hunni? Nomen Ægidij monet, vt eligas αἶγα; Barba tua vt τράγον. Dixi paucis pauca ex plurimis, quæ vidi, quæ audiui Ratisbonæ. Sed quàm debili sum memoria! memoriam propemodum fugisset prçstantissima Prçdicantium memoria; qui omnia sua argumenta & quidem longissima, memoriter ex libro ad stuporem vsque tam probè & accuratè recitabant; vt ne syllabam quidem omitterent. Quàm ardentibus votis & suspiriis optabant scholastici Ratisbonenses, vt memoriæ huius vsus in scholas introduceretur. Quàm bene illis cautum esset, ab vlmis & betulis & ferulis; si potestas memoriter ex libro recitandi illis concederetur. Christus Lucæ 4. postquam legerat textum Isaiæ, *plicuit librum, & reddidit ministro, & sedit.* Isti suum codicem an caudicem nunquam claudebant, nisi quando abibant.

Nunc venio ad emblemata, de quibus tu in tuis notationibus, quorum nonnulla mera sunt ex pectore tuo extrusa mendacia: vt quod Gretserus dixerit, per fermentum Pharisæorum *vitiosos duntaxat mores* intelligi. Item quod, quæ Aaron dixit, præcepit, fecit, Exod.

32. nec

32. *nec dixerit, nec praeceperit, nec fecerit*; & id genus alia in Hunniano figmentorum gurgustio fabrefacta. Quædam adeo vera sunt, vt nihil sit cur eorum Iesuitas pudeat: vt summum Pontificem esse iudicem omnium controuersiarum, Scripturam aut Spiritum sanctum loquentem per scripturam, non posse per hanc scripturam, quam modò habemus, & vt talis est, ità dicere sententiam, vt Gretserus euidenter sciat, se caussam amisisse, Prædicantes caussam obtinuisse: quia quod Spiritus sanctus per scripturam non est locutus, id per istam scripturam vt talis est, loqui non potest. Plura enim loqui non potest, per scripturam, quàm locutus sit: hoc quod Gretserus caussam amiserit, Prædicantes eam obtinuerint, Spiritus sanctus non est locutus per scripturam &c. Sed plura de hoc nuper Doctor Gretserus in digressionibus. Item, Thobiam in itinere suo habuisse canem: esse *articulum*, seu *dogma*, seu *obiectum* fidei, & cætera eiusdem classis & notæ. Sed offendit te Catulus Thobiæ: Si tanta bestia es, vt huius bestiæ ingenio non capiaris, demus tibi asinum, cui insidens Christus Hierosolymam intrauit. An non est dogma seu articulus seu obiectum fidei, Christum asino vectum Hierosolymam venisse? Aut si asinus iste propter tam sanctum sessorem, nimis pro te honestus est & magnificus, accipe asinum, qui Achitophelem vexit ad laqueum & suspendium 2. Reg. 17. Quod si tam grandis es asinus: vt vnus tibi non sufficiat, accipe illa sexaginta asinorum millia, quibus Israelitæ, præter reliquam prædam, locupletati sunt, deuictis Madianitis Num. 31. Interim nobis & Thobiæ, relinque catulum, fidum illum comitem & sodalem: non minus lepidum, gratiosum & iucundum, quàm fuerit Sapphirus, aut Mopsulus Lipsij. ὦ πόποι οἷον τοῦτο θεοὶ ποίησαν ἄτακτες θηρίον ἀνθρώποισι μετέμμεναι. ὡς ἐπιεικές. εἰ δὲ καὶ φρένες ὧδε νοήμονες ἔνδοθεν ἦσαν ἤδη ὅτε χρὴ χαλεπαινέμεν ὥτε καὶ οὐκί, οὐκ ἄν τοι θηρῶν τις ἐδήριζεν περὶ τιμῆς. *Vah: quale hoc animal à Diis factum: vt cum hominibus versetur. Quàm prudens, cui si tantum mentis inesset, vt intelligeret, cui succensere, cui non succensere oporteat, primas vtique inter omnia teneret.*

Alia quæ tu inter emblemata tua collocas eiusmodi sunt, vt grauissimis veterum Doctorum testimoniis defendi & confirmari queant. Vt fuisse aliquod externum medium & remedium abolendi primæui peccati pro paruulis in lege naturæ: & postea pro masculis ad diem circumcisioni præstitutum non pertingentibus ob

acceleratum fatum. Item, bonum Latronem, Martyrem & esse & dici posse. Hoc enim sensit & docuit S Augustinus, Cypriani auctoritatem secutus. Hoc S. Hieronymus: S. Bonauentura; S. Anselmus, & alij quos nuper D. Gretserus aduersus tuam impudentiam prima digressione testimonij dicendi caussa produxit. Prætereo cætera; nolo enim quidquam præreptum, aut pręcerptum siue Gretsero, siue Tannero.

Quæris, an non viderim Tannerum sess. 12. *totum in saccum conditum* Non vidi, ô Prædicans; ne Argus quidem vidisset, qui totus est *oculeus;* licet adfuisset. Hoc vidi, te ab Tannero negatas consequentias ne verbulo quidem probare potuisse; aut num probare posses; experiri voluisse. Vtinam illa ratio præcisè negandi aut concedendi aut distinguendi propositiones, perpetuò obseruata fuisset: quam sæpe obmutuisses Hunni: quàm sæpe lingua faucibus hæsisset. Nec, vt tu mentiris, negauit D. Tannerus consequentias syllogismorum, non assignato vitio in præmissis, sed enthymematum; in quibus, concesso antecedente, consequentiam negare, omni Dialectico iure licet. Tu cur non probasti? Nimirum vt alias, ita & hic volebas rationem negationis reddi, vt redditam garrulitate tua inuaderes, & sic ab onere probandi consequentiam euaderes. Hoc enim eximium habent Prædicantes, præsertim Hunnius, vt quamprimum vel vnum verbulum explicationis gratia ex respondentis ore promitur, præter *nego, concedo, distinguo*; id arripiant, & ab eo, quod ex instituto probandum erat, longissimè abscedant. Quare nihil satius aut fructuosius, quàm Prædicantes, ne exspacientur, horum trium verborum quasi *triangulo* includere. Quo facto, qui Prædicantes nihil posse non viderit, is non modo Tiresia (quod tuum est exemplum) sed & Hypsea & talpa & Leberide cæcior fuerit.

Redis nunc cũ tua lyra, & cum tuis ὄνοις πρὸς λύραν. Nescio cur tibi Arcadicum pecus tam sit amabile, & volupe: nisi quod, vt vulgò dicitur, æqualis æqualem delectat, similisque simili gaudet. Rectè antiquus Poëta: γέρων γέροντι γλῶτταν ἡδίστην ἔχει; *senex seni suauissimam linguam habet.* Tibi asini lyra. Dic, sodes, caussam. Forsan & sub bruti huius vmbra suauius & iucundius requiescis; quam Tityrus sub tegmine fagi. Quiesce ergò, nos tibi περὶ σκιᾶς ὄνου nullam litem intendemus: quin non inuiti, vt in solidum tibi, tuisque cedat, patiemur.

Textus:

Textus Epistolæ.

PRIMA igitur insignis ignominiæ nota hæc est, quod aduersarij toto decursu disputationis, quæ duabus ferè hebdomadibus durauit, ad formam Dialecticam seruandam adigi nulla ratione potuerunt, præsertim Doctor Hunnius, vt omnes, qui præsentes fuerunt facilè testabuntur, licet & de ea per leges vtrinque conuentum fuerit, & à nostris disputatoribus perpetuo inculcata; quin & à nostro quoque Serenissimo Bauariæ Principe grauiter aliquando ea de re admoniti sint aduersarij. Et quantopere apud aduersarios legitima disputandi forma exulârit, his indiciis fieri potest manifestum. Primum quod ipsimet aduersarii aliquoties publicè protestati sunt, sibi propositum non esse seruare formam Dialecticam, quam ipsi per contemptum Sophisticam dicebant.

Primo enim statim in sessione secunda cum nostræ partis Theologi (nominatim Doctor Hungerus) monerent aduersarios, vt in forma Dialectica procederent, respondit Doctor Hunnius, nos suo loco probamus & laudamus Dialecticam, & Logicas præceptiones vsurpamus, quantum satis est, ad rerum explicatio-

nem. Iam ad rem &c. quasi diceret, nihil ad Theologicam disputationem interesse vt Dialecticè disputetur.

Secundò, sessione quarta, cum nostræ partis quoq; Theologus P. Tanner ob formã non seruatam interloqueretur, rursus D. Hunnius protestatus est, se non progressurum, nisi caueantur eiusmodi interpellationes.

Tertiò, cum sessione 8. rursus instaret D. Tanner, vt aduersarij iuxta leges disputandi ex obiecto scripturæ loco conficerent illationem & syllogismum, denuò protestatus est D. Hunnius; disertissimè, inquit, profiteor me nolle cũ isto homine amplius disputare, nisi permittat vt explicentur & euoluantur dicta scripturæ. Nisi enim ratio illa Sophistica (Dialecticam intelligit) coërceatur, nihil possum cum illo agere.

Quartò cum in sess. 11. denuò à nostris exprobraretur D. Hunnio formæ neglectus, adderetur q; eius olim quoq; discipulos vehementer mirari, quod iam formam vsque adeo refugiat, qui eam inter discipulos olim studiosissimè vrserit: eum itaq; apertè iam seipsum infamare, suamq; doctrinam prodere, vt quam seruata forma tueri non posit, D. Hunnius nihil respondere potuit.

Quintò

Quintò, cùm in seß. 13. rursus argueretur ob neglectam formã, ait D. Hunnius: Ego formam seruo à Christo & Apostolis obseruatã, quasi verò Christus & Apostoli fidẽ non aliter defenderint quàm tergiuersando & digrediendo, &c.

Secundũ Indiciũ est, quod ab aduersariis sæpè per integram & etiam plures horas impetrari nõ potuerit, vt vel ad vnicam propositionẽ responderent, aut negatam propositionẽ in forma probarent. Vt quidem inprimis accidit sessione 4. in qua cum per duas horas aut amplius vrgerentur à collocutoribus nostræ partis, vt miserabilẽ illam suam propositionem maiorem syllogismi illius, quem mox infrà perscriptum reddã, probarent, adduci nulla ratione potuerunt. Item sessione 13. vbi vix per horam ab eis etiam summa contentione adhibita impetrari potuit, vt directè & disertè responderent ad apertissimam illam quæstionem, sitnè aliquid fide infallibili credendum, quod nec in scriptura aperte contineatur, nec ex ea sola sufficienter colligatur, quocunque tandem id nomine appelletur. Quocirca etiam à Doctore Tannero Versipelles appellati sunt.

3. Quod nostræ partis collocutores vsque adeo crebrò, necessario tamen inculcârunt illas

voces

voces, ad formam, ad formam, vt etiam qui- dam ex aulicis Serenissimi Bauariæ Principis, qui disputationi præsens fuerat, neque tamen ea quæ dicebantur, intelligebat, nihil aliud audire sibi videretur, quàm perpetuo illud, Fuhrman/ Fuhrman/ita enim malus latinus malè intellexe- rat illud ad formam, ad formam: quod etiam Ratisbonæ iam quasi in prouerbium abiit, vt in- ter lusum & pocula celebretur vox ista: ad for- mam, ad formam. Nec mirum, cùm satis con- stet ipsos quoque Prædicantes ad formam bibe- re potius & ludere, quàm disputare didicisse.

Secunda ignominiæ nota est, quia in argu- mentando manifestè defecerunt: hoc vnicum exempli loco sufficiat. In sesione quarta pro- posuerat Doctor Haylbrunner argumentum, vt probaret quod scriptura sit vnica norma contro- uersiarum fidei & religionis: qui reprehendit & punit eos omnes, qui à scripto DEI verbo qua- cunque intentione recedunt, & vel ad dexteram vel ad sinistram declinant, is hoc ipso facto per- spicuè testatur, scriptum verbum esse vnicam normam, ad quam omnis cultus conformari de- beat; Deus in veteri Testamento reprehendit & punit eos omnes, qui à scripto verbo quacun- que intentione recesserunt, &c. Hic cum idem

Doctor

Doctor Haylbrunner statim non expectata vlla prius responsione contra omnem legitimam disputandi formam, prætermissa maiore, quam dicebat probatione non indigere, prolixè & operosè probasset minorem, quæ tamen nulla probatione indigebat: Doctor verò Gretserus à nostra parte maiorem negasset, mirum est quantopere cõsternati fuerint miseri, ita planè, vt quo se verterent, nescirēt. Putabam (dicebat D. Haylbrunner) maiorem non negatum iri: Et licet nostræ partis theologi sæpè sæpius vrgerēt, vt maiorem illam propositionem negatam probarent aduersarij, nunquam tamen impetrare id potuerunt, cùm illi perpetuo tergiuersarentur, nouũque argumentum pro priore obtrudere conarentur, ita prorsus vt tandem aperte coacti sint illam propositionē deserere. D. Tannero eis gratulante, quod tandem intelligerent, eam propositionem falsam esse, & nec probatam hactenus, nec vnquam probari posse.

Tertia est turpissimi timoris nota: cùm enim per duos ferè dies prolixè disputatum esset, de sensu illorum locorum Deut. 4. & 12. non addetis, &c. hoc tantum facito, &c. & multa vtrinq; prolixè non sine maximo auditorum fastidio dictata fuissent ad calamum, cunctis interim, etiam

ipsis aduersarijs apertè intelligentibus ea ratione ad veritatis cognitionē perueniri nō posse, prouocati sūt aduersarij à Doctore Tanner vt prætermissa illa dictatione palā & quasi cominus manus cōfererent; & seruata ea forma, quæ alioquin inter disputandū consueta esset de eiusmodi locorū sensu & intelligentia disputarent: paratum nihilominus se offerebat, amica eiusmodi disceptatione peractâ, etiam ad calamum suas responsiones, quæ restabant, dictare. Negauit D. Hunn. id se facturum. Et cum D. Tanner denuò instaret, eosque ad amicam eiusmodi disceptationem iterū prouocaret, manifestum alioquin futurū omnibus, quod aduersarij recusando eiusmodi disceptationē, subterfugiāt cognitionē veritatis: itaque se rursus per diuinū iudiciū obtestari, vt aduersarij prouocationi tàm seriæ acquiescant, rursus consultatione inter se habita abnuerunt. Et cum D. Hunnius inter alias rationes hanc quoque attulisset, sanè perquam friuolam, ne videlicet nostri collocutores si ad calamum non omnia dictata essent, postea quicquid liberet, dicerent; subiunxit D. Tanner: ecce D. Hunni quàm liberaliter tecū agere velim. Ego quantū in me est, facio tibi liberrimam potestatem, vt de me & meis respōsionib. dicas, quod lubet, vicissim autem polliceor,

or nihil me de te dicturũ aliud, nisi ꝙ totius Auditorij præsẽtis testificatione comprobari possit. Sed neq; sic ausus est congredi miser. Sed constanter certamen recusauit. Quod si cuipiam nostræ partis Theologorum id accidisset, iam certè aduersarij non tantum occulte inter suos victoriã iactitarẽt, sed palam quoq; triumphum agerent.

NOTÆ IN NOTATIONES HVNNIANAS.

PRofitetur Hunnius se amare formam: Sed qualem? varia sunt formarum genera. Quod amator sit formæ, quæ in Susanna binos illos senes in transuersum rapuit, nullus dubito. nã vt de forma Dialectica formosum nostrum Prædicãtem loqui arbitrer, multa obstant; maximè odiũ quod toto colloquio in hãc formã præseferebat: & fuga, qua, ne in hãc formam incideret, sese aliò proripiebat, quã primùm forma ista in theatro comparebat; Obstant item conuicia, quibus formam hanc in his Notationibus, & in Relatione sua insectatur; dũ *meretriculã*, *Thaidẽ*, *Laidẽ* & quid nõ? appellitat; etsi certus sum Huñiũ à *Thaide* aut *Laide* tam alieno animo non esse, quã à Domina forma Dialectica. Ait, se *amare formã Dialecticã*. Sed cuius Dialecticæ? Certè non Aristotelicæ; non antiquæ: non vsitatæ; nam si qui concionatur & declamitat, & ad nullam propositionẽ directũ dat responsum, Dialecticè disputat; ostende, oro, quænã sit hæc Dialectica, quo auctore edita? Quibus in scholis, & à quibus recepta? Nimirũ vt fidẽ & Theologiam nouã; ita & Dialecticã nouam vobis fingitis & cuditis: Schrifft gegen Schrifft / *non syllogisticè, tamen Dialecticè, verùm modo Theologico*, clamabat Smidelinus Hunnij præceptor in disputatione quadam Ratisbonensi. Mira verborum implicatio. Disputari non vult syllogisticè, & tamen Dialecticè. Quæ ista Dialectica, quæ syllogismis non vtitur? Ergo quantum amabat Smidelinus Maiorem, Minorem, & *Conclusionem*, tantum quoq; amat Hunnius, Smidelini, catulus, an

asinus? odit enim catulos (vt supra visum de catulo Thobiæ) ob dissimilitudinem & antipathiam.

Scio conflictum, in quo maior Hunnio, vt & olim Smidelino, longè gratior est, quàm Minor: & vtraq; coniunctim acceptior adhuc, quàm quælibet separatim. Quis iste conflictus? *Bacchicus*, vbi, vt inquit ille, *qui plus biberit, fortior computatur*. In hoc certamine nunquã auditur à te, tuisq; socijs: & à tuo Poëta Baldwein. *Transeat Maior;* multo minus; *negatur maior*: imò veniat maior. Quò maior, eò gratior: Etiamsi maxima ex intimis Lyæi Topicis constet. Concedo maiorem & minorem, & id quod inde ex vi maioris & minoris effertur, & in guttur infertur, nunquam distinguis, sed extinguis. Ad Maiorem æquè expeditè respondes, ac ad minorem: par vtrobiq; facilitas: nunquam hæsitas, nusquam moraris: dictum & factum. Et quid opus me multas agere ambages? hoc, iudicio Prædicantium, *est homini quam ob rem vitam amet; hic omnes voluptates, in hoc omnes venustates sunt: In hoc omnes formarum gratiæ & lepores.* Hæc vera pugna Dialectica, vbi ex monito Smidelini: Schrifft an Schrifft. Becher an Becher. Hæc vera & legitima forma, vbi maiores & minores tam aptè nectuntur & iunguntur, vt non nisi optima, formalisq; conclusio expectanda sit. Hic gratum est illud celeusma. *Ad formam, ad formam.* Responde *in forma.*

Sed redeamus ab hac Semeleia forma ad nostram disputatricem: qua cur non vtatur Hunnius, hanc caussam reddit, quod CHRISTVS ea non sit vsus, & quod nec Apostoli. Rectius, opinor, se defenderet, si exemplo Pharisæorum, Saducæorum, Scribarum & Legisperitorum suam caussam tueretur: Nam isti nec in forma respondebant, nec in forma argumentabantur; Cur igitur Hunnius ad hanc formã, & vt ipse loquitur, ad hanc decimã musam, & ad hãc quartam charitem se alligare pateretur? Quid Vulcano fumoso & fuliginoso cum charite? imo verò multum, quia vxor eius apud Homerum charis est; si ritè recordor: Ergo cum Pharisæi, Hunnij proaui, forma non sint vsi, cur ea vtatur Hunnius? cur à maioribus suis degeneret?

Quod ad CHRISTVM & Apostolos attinet, etiamsi nulla disserendi forma & methodo Dialectica vsi fuissent, nec quod tu dicis falsum esset, quod tamen falsum esse ostendit D. Gretserus in Responso ad Theses tuas: & D. Tannerus in sua Relatione nihilominus non sequeretur, Dialecticam disputandi formam illicitam esse, &

vulpibus

vulpibus capiendis adhiberi non posse. *Vulpes insidiosos maximeq; Hæreticos significant. dolosos, fraudulentos, cauernosis anfractibus latentes, & decipientes, odore etiam tetro putentes*, inquit S. Augustinus in psal. 80. *Istæ vulpes significantur in canticis canticorum, vbi dicitur cap. 2. Capite nobis vulpes pusillas exterminantes vineas, latentes in cauernis tortuosis, capite nobis, conuincite nobis. Capis enim eum, quem de falsitate conuincis. Vulpes autem solent habere tales foueas, vt ex vna parte intrent, & ex alia parte exeant. Ad vtrumq; foramen captor vulpium retia ponit*, per formam Dialecticam, per Syllogismos, enthymemata, aliosq; argumentandi modos, exemplo Domini: *Contradicentibus namq; vulpeculis Domino*, ait S. Augustinus, *& dicentibus: in qua potestate ista facis? respondete mihi & vos, inquit, vnũ sermonem. Baptismus Ioannis vnde est, de cœlo est an ex hominibus? ad vtrumq; foramẽ captor vulpium retia posuit. Dicite mihi de cœlo est an ex hominibus? Sẽtiunt illi, eum ex vtraq; parte tetendisse, vnde caperet; & aiunt apud se, si dixerimus, inquiunt, de cœlo, dicturus est nobis, quare ergo non credidistis? ille enim testimonium* CHRISTO *perhibuit: Si dixerimus, de terra, lapidabit nos populus, quia vt Prophetam eum habent. Sentientes ergo hàc atq; hàc esse, vnde caperentur, responderunt, nescimus. Et Dominus: nec ego vobis dico in qua potestate ista facio. Vos dicitis, vos nescire quod scitis, ego vobis non dico quod quæritis: quia ex nulla parte exire ausi estis; in vestris tenebris remansistis. Obtemperemus ergo & nos, si possumus, verbo* DEI, *capite nobis vulpes pusillas exterminantes vineas; Videamus si & nos quasdam vulpeculas capere possumus. Proponamus ad foramen vtrumq;, vt vnde vulpes exire voluerit capiatur.*

At vulpes molestè ferunt hanc capiendi formã. Mirũ, ni venatores sibi à vulpibus præscribi patiantur formam, qua vulpes capi cupiant.

Ait Hunnius, *se amare formam*, sed suo loco & tempore; vbi verò iste locus Hunnij? Ratisbonæ profectò non fuit. Vbi istud tempus? in Nouembri & Decembri non fuit. Quando igitur? Amat formam, sed non Iesuiticam, non in scholis vsitatam, non illam apud omnes Theologos & Philosophos frequentatam. Quam igitur formam amat? obstreperam; Archytæ crepitaculo magis garrulam: Citeria loquaciorem, Thersita ἀμετροεπεσέρων, vno verbo, talem, quæ vbi omnia dixit, nihil dixit.

Maiorem illam syllogismi vestri negatam à nostris Theologis: *Qui reprehendit & punit omnes eos, qui à scripto* DEI *verbo quacunq; intentione recedunt, & vel ad dexteram, vel ad sinistram deflectunt; is hoc ipso facto perspicuè testatur, scriptum verbum debere esse vnicam normam,*

ad quam omnis cultus conformari debeat. hanc, inquam, maiorem negatam, probasti in Colloquio: non nego, & quidem ex scriptura, sed ita, ac si ego ex scriptura probare contenderem has propositiones, *non est* DEVS: CHRISTVS *non est homo:* Quia dictio, *non*, continetur in scriptura, vt & dictio, *est*, & dictio, *Deus*: & dictio, *Christus*, & dictio, *homo*, ergo etiam istæ duæ propositiones continentur in scriptura: *Non est Deus*: *Christus non est homo.* An non hæc egregia probatio esset? Pari modo tu. In scriptura continetur. *Qui reprehendit & punit omnes eos, qui à scripto* DEI *verbo recedunt; in scriptura*, inquam, hoc continetur, tametsi non vno loco: quia verba *reprehendendi, puniendi*, & *recedendi* in scriptura continentur, & vocabulum; *omnes*, & *eos*, & ipsum etiam scriptum DEI verbum; qui terminus ponitur in maiore; vbique in scriptura continetur: vt & ille terminus, *quacunq; intentione*, & ille, *ad dexteram*, aut *sinistram.* habemus ergò hanc maioris partem. *Qui reprehendit & punit eos omnes, qui à scripto* DEI *verbo quacunque intentione recedunt, & vel ad dexteram vel ad sinistram declinant; ex ipsis Bibliorum* intimis visceribus erutam, vt luculentius & illustrius nihil inde potuerit erui, & si quis adhuc dubitet, is Bibliorum *Concordantias* accipiat, & omnia vocabula maioris huius, quoad hanc partem reperiet, nisi sicubi Typographus fortè errauit in notis numerorum, quæ errata Hunnius præstare nequit.

Iam *quod attinet apodosin, alterum membrum propositionis Maioris* quod ita sonat; *is hoc ipso facto perspicuè ostendit scriptum verbum debere esse vnicam normam omnis cultus, &c. patet hinc: quia Dominus id ipsum quod nos* (Prædicantes) *intendimus liquidissimè his testimoniis Moysis confirmet, & asserat; nimirum is hoc ipso facto, &c. & hoc tam disertè, tam luculenter continetur in sermone Moysis, vt ad lucem & perspicuitatem nihil quidquam accedere valeat.* Manet ergo maior illa *per hanc solidissimam & in æternum inconcussam responsionem* ἀδιαντίνως probata, & roborata, & ferreis columnis suffulta: quis igitur dubitet, quin illa Maior sit vera, cuius omnia vocabula continentur in scriptura: nec in *omnem sempiternitatem* erit, qui maiorem istam tot sacrarum litterarum propugnaculis cinctam, & in orbem circumquaq; munitam conuellat.

Quàm malè ergò à Iesuitis factum, qui talem propositionem negârunt, & Heilbrunnerum in maximas angustias coniecerunt, vt & Hunnium, dum publicè conquererentur, se non putasse, maiorē negatum

negatum iri, atq; adeo hic etiam locum habiturum adagium, ἡ ξ μά-χαιραν, *capra gladium*, alioquin ei probandæ collegissent quoq; Neoburgi, vel potius witteberga, aliquot argumenta: sed cum supposuissent claram; liquidam & quasi *radiis solaribus* scriptam esse, nihil de ea munienda cogitarunt, donec Hunnio tandem, hæc, quam modò proposuimus, probatio ex Bibliorum Concordãtiis occurrit. Et est certè perquàm elegans ratio probandi: Nam si singula vocabula propositionis continentur in scriptura, ergo & integra propositio: ita enim statuere videtur Hunnius. suadeo igitur vt probatæ Maioris laudem nemo tibi auferat; Si quis extiterit, qui id tentet, me patronum, & aduocatum habebis. Defendam te eo modo; quo tuam maiorem defendisti, hoc est, ἀδαμαντίνως. Si nescis Hunni, iam disce: etsi in colloquio etiam super hac re monitus; Quando aliqua propositio ab aduersario negatur, tunc argumentans negatam propositionem inferre debet in alterius syllogismi, vel cuiuscunq; argumentationis cõclusione, ita vt fiat conclusio. Ostende, oro, in toto Protocollo vllum syllogismum, aut enthymema, in cuius conclusione appareat illa maior probata legitimè per aliud medium, & ex eo legitimè etiam deducta. Ego certè nec in colloquio audiui, nec in Protocollo postea quidquam legi, præter nugacissimam tuam garrulitatem, cui propius inspectæ nec pes nec caput constat.

Textus Epistolæ.

QVarta ignominiæ nota est, quod in respõdendo quoq; & in suis Thesibus defendendis apertè defecerunt. Et quidem circa præcipuũ illud disputationis punctũ, an videlicet scriptura sit vnica & sola norma omniũ cõtrouersiarum religionis, seu, quod idem est, an omnia, quæ ad fidem & religionem spectant, & necessariò ab omnibus credenda sunt vel in scriptura sola apertè contineãtur, vel ex ea sola sufficiẽter educantur. In qua quidẽ quæstione eò tãdẽ vi argumento-

ad quam omnis cultus conformari debeat. hanc, inquam, maiorem negatam, probasti in Colloquio: non nego, & quidem ex scriptura, sed ita, ac si ego ex scriptura probare contenderem has propositiones, *non est* DEVS: CHRISTVS *non est homo:* Quia dictio, *non*, continetur in scriptura, vt & dictio, *est*, & dictio, *Deus:* & dictio, *Christus*, & dictio, *homo*, ergo etiam istæ duæ propositiones continentur in scriptura: *Non est Deus: Christus non est homo.* An non hæc egregia probatio esset? Pari modo tu. In scriptura continetur. *Qui reprehendit & punit omnes eos, qui à scripto* DEI *verbo recedunt; in scriptura*, inquam, hoc continetur, tametsi non vno loco: quia verba *reprehendendi, puniendi, & recedendi* in scriptura continentur, & vocabulum; *omnes*, & *eos*, & ipsum etiam scriptum DEI verbum; qui terminus ponitur in maiore; vbique in scriptura continetur: vt & ille terminus, *quacunq; intentione*, & ille, *ad dexteram*, aut *sinistram.* habemus ergò hanc maioris partem. *Qui reprehendit & punit eos omnes, qui à scripto* DEI *verbo quacunque intentione recedunt, & vel ad dexteram vel ad sinistram declinant; ex ipsis Bibliorum* intimis visceribus erutam, vt luculentius & illustrius nihil inde potuerit erui, & si quis adhuc dubitet, is Bibliorum *Concordantias* accipiat, & omnia vocabula maioris huius, quoad hanc partem reperiet, nisi sicubi Typographus fortè errauit in notis numerorum, quæ errata Hunnius præstare nequit.

Iam *quod attinet apodosin, alterum membrum propositionis* Maioris quod ita sonat; *is hoc ipso facto perspicuè ostendit scriptum verbum debere esse vnicam normam omnis cultus, &c. patet hinc: quia Dominus id ipsum quod nos* (Prædicantes) *intendimus liquidissimè his testimoniis Moysis confirmet, & asserat; nimirum is hoc ipso facto, &c. & hoc tam disertè, tam luculenter continetur in sermone Moysis, vt ad lucem & perspicuitatem nihil quidquam accedere valeat.* Manet ergo maior illa *per hanc solidissimam & in æternum inconcussam responsionem* ἀδιάκριτως probata, & roborata, & ferreis columnis suffulta: quis igitur dubitet, quin illa Maior sit vera, cuius omnia vocabula continentur in scriptura: nec in *omnem sempiternitatem* erit, qui maiorem istam tot sacrarum litterarum propugnaculis cinctam, & in orbem circumquaq; munitam conuellat.

Quàm malè ergò à Iesuitis factum, qui talem propositionem negârunt, & Heilbrunnerum in maximas angustias coniecerunt, vt & Hunnium, dum publicè conquererentur, se non putasse, maiorẽ

negatum

negatum iri, atq; adeo hic etiam locum habiturum adagium, ἁ ξ μά-χαιραν, *capra gladium*, alioquin ei probandæ collegissent quoq; Neoburgi, vel potius Wittebergæ, aliquot argumenta: sed cum supposuissent claram; liquidam & quasi *radiis solaribus* scriptam esse, nihil de ea munienda cogitarunt, donec Hunnio tandem, hæc, quam modò proposuimus, probatio ex Bibliorum Concordãtiis occurrit. Et est certè perquàm elegans ratio probandi: Nam si singula vocabula propositionis continentur in scriptura, ergo & integra propositio: ita enim statuere videtur Hunnius. suadeo igitur vt probatæ Maioris laudem nemo tibi auferat: Si quis extiterit, qui id tentet, me patronum, & aduocatum habebis. Defendam te eo modo; quo tuam maiorem defendisti, hoc est, ἀδαμαντίνως. Si nescis Hunni, iam disce: etsi in colloquio etiam super hac re monitus; Quando aliqua propositio ab aduersario negatur, tunc argumentans negatam propositionem inferre debet in alterius syllogismi, vel cuiuscunq; argumentationis cõclusione, ita vt fiat conclusio. Ostende, oro, in toto Protocollo vllum syllogismum, aut enthymema, in cuius conclusione appareat illa maior probata legitimè per aliud medium, & ex eo legitimè etiam deducta. Ego certè nec in colloquio audiui, nec in Protocollo postea quidquam legi; præter nugacissimam tuam garrulitatem, cui propius inspectæ nec pes nec caput constat.


Textus Epistolæ.

QVarta ignominiæ nota est, quod in respõdendo quoq; & in suis Thesibus defendendis apertè defecerunt. Et quidem circa præcipuũ illud disputationis punctũ, an videlicet scriptura sit vnica & sola norma omniũ cõtrouersiarum religionis, seu, quod idem est, an omnia, quæ ad fidem & religionem spectant, & necessariò ab omnibus credenda sunt vel in scriptura sola apertè contineãtur, vel ex ea sola sufficiẽter educantur. In qua quidẽ quæstione eò tãdẽ vi argu-

mento

mentorum adacti sunt, vt post incredibilem licet tergiuersationem, aperte confiteri debuerint, esse omnino aliquid credendũ, fide Christiana & infallibili, & quidem eadẽ illa, qua credimus Trinitatis & incarnationis mysterium, quod tamen nec in scriptura expressè extat, nec ex ea sola sufficienter colligitur, nẽpe quod sit aliqua scriptura canonica, seu verbum DEI scriptum. Item quod Euangeliũ S. Matthæi sit Matthæi, & verbum DEI &c. Quo vel vnico admisso ruit non solũ & penitus corruit celebre illud aduersariorum pronunciatum, quod nihil credendum, nisi scriptum, &c. Sed etiam omnia omnino argumenta, quæ ab eis cõtra Ecclesiasticas traditiones obijci solent, præsertim illa toties iterata ex Deuteronomio, Nihil addetis, &c. Hoc tantum facito.

NOTÆ IN NOTATIONES HVNNIANAS.



Quæstione, vtrum aliquid fide infallibili credendum sit, quod in scriptura non continetur, absistas, oro: nam quò diutius insistis, eò grauius te intricas, sine vlla spe extricandi; Pareas, sodes, monenti, ita tibi tua quot annis duos vagientes Prædicantes pariat: Aut si tanta tibi te perdendi libido, vno & categorico verbo nos expedi, *vtrum aliquid fide catholica & infallibili credendum sit; quod in scriptura non contineatur*. Dicis, *hanc quæstionem inter te & nostros* esse extra litem. verène hoc & seriò an falsò & mendaciter? Si hoc? cur DEVM mendacij vindicem non metuis? Si illud: cur ergò perpetim vociferamini, omnia, quæ credenda sunt fide Catholica, in scriptura contineri;

Et

Et extra eam nihil. *Probent*, inquis, *suis traditionibus, quæ sunt in controuersia, æquè fidem habendam.* Non agitur hoc, Prædicans; sed hoc. Vtrum aliquid extra scripturam credendum sit fide catholica, & infallibili; Nulla quæstio tum erat de Traditionibus, quæ vestro stomacho minus gratæ & acceptæ. *Ad formam* Prædicans, non quidem ad illam tui illius Baldwein, sed ad scholasticam & literariam. Quæstionem da nobis expeditam. Annuis an abnuis? Ais, *quod Euangelium S. Matthæi sit Matthæi, id pertinet ad historiam, non ad dogmata.* Nec hoc ad rem: Etsi falsum est: non enim quæstio erat: vtrum sit catholica fide tenendum Euangelium S. Matthæi esse S. Matthæi, sed vtrum catholica fide, credendum sit Euangelium S. Matthæi esse canonicum. Ad hoc, oro, respondeas. Dicis, *hoc nimis frigide quæri*: Si nimis *frigidè*, quin tu igitur affundis calidam. Affundes autem, si respondeas. *Vtrum fide infallibili credendum sit Euangelium S. Matthæi esse canonicum.* Eia, rumpe silentia, quid cunctaris? An occupauit te Dæmon ille mutus, quem Pharisæi magistri tui in *Principe dæmoniorum* à Christo Domino eiectum esse calumniabantur? Responde, quod in colloquio respondisti, *esse quidem fide infallibili credendum, sed non pertinere ad dogmata fidei.* An quod ex tuo collo tunc excidit, & in Protocollum venit, nunc ex memoria effluxit? Restitas hic & pauitas: nec progrederis, nec regrederis.

Non constat, inquis, *ex solo testimonio Ecclesiæ Euangelium S. Matthæi esse canonicum.* Vnde ergò, si non ex solo? *Da Tityre nobis.* An ex scriptura? ex qua? Audite, Lectores, quomodo ex scriptura constet Euangelium S. Matthæi esse canonicum. *Constat*, inquit, *Euangelium S. Matthæi esse S. Matthæi; & hoc ex Ecclesiæ testimonio, & quidem ex solo: ergo ex scriptura constat Euangelium S. Matthæi esse Canonicum, quia ex scriptura constat S. Matthæum fuisse Apostolum Marci. 3. & Lucæ 6.* Profecisti Hunni post reditum tuum in Saxoniam; hanc enim tam acutam, tamque argutam rationem non protulisti in colloquio, sed aliam ex Ezechiele; hanc nimirum, *Ezechiel vidit quatuor animalia pennata, ergo Euangelium S. Matthæi est canonicum.* Nunc quid? Matthæus est Apostolus; Et hoc ex scriptura liquet. Ergo Euangelium illius est canonicum. Quid si ego dicam? Matthias est Apostolus, & hoc ex scriptura liquet, Ergò Euangelium illius est canonicum. Andreas est Apostolus, Ergò Euangelium illius est canonicum, & sic de cæteris, quorum nomine Euangelia olim circumferebantur: At, cedo, vnde scis Matthæum fuisse Apostolum? Ex Euangelio, in-

quies. Cæterùm Euangelium illud verum dicere, cùm dicit S. Matthæum fuisse Apostolum, vnde tibi compertum, nisi ex auctoritate & testificatione Ecclesiæ? Vnde tibi compertum, verba illa non esse supposititia, & intrusa? Si quis simpliciter negaret S. Matthæum fuisse Apostolum, neque vlla Euangelij auctoritate duceretur, quomodo erranti errorem eripere tentares? Ex quo necessariò sequitur, non nisi ex eiusdem Ecclesiæ testimonio liquere hoc Euangelium canonicum esse. Vbi enim in toto Matthæo scriptum est, Euangelium hoc esse canonicum?

Hinc tibi ipse diffidens, in hoc responso minimè acquiescis, sed ad asylum ignorantiæ, hoc est, ad interna pectoris tui κριτήρια confugis, quæ procul dubio valde sunt *critica* & *diacritica*. Verùm Lutheranus, qui se in has latebras abdit, nihil relinquit, quo alium Hæreticum, qui libri alicuius canonici auctoritatem inficietur, redarguat & reuincat. Nam si illum ad tuam tuorum critiriorum occultam curiam vocare velis, ille eodem iure vocabit te ad suam, tanquam ad forum competentius. Tu tua κριτήρια vel potius κοπροθέσια dices esse vera, ille sua vera, tua falsa. Quis κριτὴς erit? Quis finis litium erit, sub iudice, qui tam tenebricosus est, vt à nemine mortalium videatur, à nemine audiatur, nisi per os tuum, quod tam verax est, quàm os illius, qui ab initio mendax, mendaciique pater fuit.

Interim notemus Hunniana emblemata & asystata pronunciata: 1. *Euangelium S. Matthæi esse S. Matthæi non est dogmaticum, sed historicum.* Licebit ergo sine periculo fidei negare. Vt & epistolam ad Romanos esse Pauli, vel vtramque ad Timotheum, ad Thessalonicenses, ad Corinthios. 2. *Euangelium S. Matthæi esse canonicum colligitur ex internis critiriis & indiciis.* 3. *Colligitur hoc ex Ecclesiæ testimonio.* 4. *Non colligitur hoc ex Ecclesiæ testimonio, sed ex ipsa scriptura.* 5. *Scriptum est in Euangelio S. Matthæum fuisse Apostolum, Ergo Euangelium illius est canonicum.* Quid si aliquis simili argumentandi ratione colligat. Nusquam scriptum est S. Marcum fuisse Apostolum, aut Euangelistam, Ergo Euangelium S. Marci non est canonicum. Quid respondebit Hunnius? 6. Hunnius hunc nodum expediat. Ex cuius auctoritate constat, Euangelium S. Matthæi, esse S. Matthæi, ex eiusdem auctoritate constat, etiam Euangelium S. Matthæi esse canonicum. Sed ex Ecclesiæ auctoritate constat

constat Euangelium S. Matthæi esse S. Matthæi, vt fatetur Hunnius, ergo ex Ecclesiæ auctoritate constat Euangelium S. Matthæi esse canonicum. Maior probatur. Quia hoc ipso, q̃ Ecclesia declarat Euangeliũ S. Matthæi esse S. Matthæi, declarat illud esse canonicum: declarat enim Euangelium illud esse S. Matthæi tanquã scriptoris canonici, & qui à Spiritu sancto immediatè sit in scribendo gubernatus & directus: nam si non declararet illud esse S. Matthæi, vt scriptoris canonici, sed vt priuati duntaxat historici, sponte sua, non singulari Spiritus sancti instinctu ad scribendum impulsi, & in scribendo versati, tunc non plus sciremus de Euangelio S. Matthæi, quàm quod historia humana esset, hocque nomine legi posset. Ergo vnde scimus S. Matthæi Euangelium esse S. Matthæi, inde scimus etiam, Euangelium S. Matthæi esse canonicum, quia non aliunde scimus S. Matthæum, tanquam scriptorem canonicum, ad scribendum accessisse: quàm ex Ecclesiæ testimonio. Nec hunc nodum soluet Hunnius, licet in omnes partes se verset, & reuerset, iamque hoc, iamque aliud dicat, atque adeo sibi contradicat, moxque quod affirmauit, neget; & rursus quod negauit, affirmet.

Quod D. Tanner vos nominauit *versipelles*, id cur ægrè feras, caussam non habes, quantum quidem ad te attinet. Si enim tibi ius fasque est ex Lutherana æquitate, vt omnes Catholicos *asinos Romanenses*, omnes Patres Concilij Tridentini, *Beanos Tridentinos*; Pontifices Romanos, *diabolos incarnatos, omniumque bipedum nequissimos nebulones* nomines, adeo succensere non debes, si *versipellis* nomen in te coniectum sit. Versipellis à *versa pelle* dicitur. Quis sæpius vertit & versat pellem, quàm Prædicans, qui quid crediturus sit postridiè, nescit pridie. Polypus est Prædicans, Proteus, Vertumnus, & Empusa, cur non & versipellis? Dicitur & vulpes *versipellis*, quia licet pellem non vertat, vertit tamen mentem. Vulpes estis & vos. Cur elogium vulpinum renuitis?

Porrò illud mirificè mihi arridet, quod informem tuum disputandi modum defendis exemplo diaboli, qui in agone vltimo, quando cum quouis de summa rerum disputat, non patitur se adigi *ad formam, sed si vel sexcentas ei formas obieceris*, inquit Prædicans, *ad earum quamlibet emisso crepitu* (notate cre-

pitacula Hunniana, notate acutissimas argumentorum solutiones) *videbit in sinu.* Formemus ergo formam. *Diabolus non disputat in forma, ergo nec Prædicans in forma disputare debet.* probatur consequentia. Quia Prædicantes sunt discipuli diaboli. Item adhuc subtilius. Satanas soluit singula argumenta in forma proposita *emisso crepitu.* Ergo idem, Magistri exemplo, faciendum est Hunnianis crepatoribus. Nam hoc petarro disiiciuntur omnia propugnacula, licet adamantinis firmata vectibus. Olim Lutherus tenebat hunc modum respondendi ad argumenta diaboli, vt ipse non semel scribit. Nunc diabolus edoctus à Luthero altitonante, eundem, vt video, vsurpat aduersus hominem. Sed cum tam probè tibi perspectum sit; qua arte diabolus soluat argumenta, subit suspicari, tibi argumentanti has solutiones aliquando à diabolo datas; cum hoc mandato, vt similes des tecum in forma disputantibus. Quod si ita est, tum diabolus tecum disputet, non ego; Neque enim Ægyptius sum, quos has Hunnianas argumentorum solutiones pro Diis honorasse legi aliquando in Origene aduersus Celsum antiquum Prædicantem scribente.

Dicis. *Christus non disputauit cum Diabolo in forma:* Ergo neque nos ad formam adigi debemus: cum enim pepercerit Christus Diabolo, cur nos *miseri diaboli* affligeremur cum forma? Respondeo, cur Christus in forma non disputauerit cum Satana, suas causas habuit: inter cæteras etiam hanc, quod ea vi & efficacitate loquendi erat præditus, vt etiam simplici & nuda duntaxat oratione adhibita, facillimè os aduersariorum obturaret: At verò catholici suas habent itidem causas, cur cum diaboli scholaribus, tam verbosis & loquacibus, nolint disputare, nisi intra circum formæ. Vident enim nec finem nec modum clamandi esse, nisi disputatio his formæ cancellis circumscribatur. Aio Locutio vbique extra formam litare possunt Prædicantes: intra formam Harpocrates sunt, & Mutij.

Verumenimverò si te tueri parabas exemplo disputationis Satanæ cum Christo initæ, longè aptius id facere poteras in hunc modum. Satanas Christum disputando aggressus non seruauit formam, Ergo & nobis Prædicantibus eam non seruare licebit. 2. Satanas testimonia scripturæ malè intellecta, deprauata, & decurtata Christo obiecit; ergo idem quoque nobis ius fasque erit. 3.
Satanas

Satanas nunquam respondit Christo ad propositum, sed statim, audita responsione Christi, ad aliud se transtulit: ergò & nobis, nihil quod ad rem faciat, respondere, & ab alio ad aliud transilire licebit. 4. Diabolus disputans cum Christo venit à deserto Hierosolymam supra pinnaculum templi; Hierosolyma in montem excelsum; à pane ad lapides, à lapidibus ad præcipitium, à præcipitio ad omnia regna mundi, ab omnibus regnis mundi ad promissionem de omnibus donandis, si procidens cultum adorationis exhiberet. Ergo & Prædicantibus integrum erit inter disputandum peruagari omnia: & à norma controuersiarum saltare ad infantes legis naturæ & Mosaicæ, quomodo saluati sint: ab his ad latronem in cruce, à latrone ad iustificationem & iustitiam imputatiuam: ab hac ad Aaronem: ab Aarone ad Antichristum, à iudice controuersiarum, ad iudicem in extremo iudicio. Quid multa? Ne diabolus quidem, etsi celerrimus, tam expeditè potuit à baculo ad angulum; ab angulo ad angelos, & ab his aliò transuolare, quàm nostri Prædicantes, *saltatibus apta iuuentus*, ab vno argumento ad aliud.

Præterea, sicut diabolus disputans cum Christo, citansque scripturam, elegantissimas & ingeniosissimas consequentias insinuauit, etsi nullam disertè posuit, ita & ministri eius Prædicantes, cum scripturas adducunt, vberrimam nobis segetem pulchras consequentias texendi subministrant. Exempli caussa, diabolus ita, virtute saltem, si non actu, argumentabatur. *Scriptum est; angelis suis mandauit de te &c. in manibus portabunt te; ergo securè poteris te præcipitem dare de culmine huius templi, nihil feres incommodi*; sic & Prædicantes: scriptum est; omnis doctrina diuinitus inspirata, vtilis est ad docendum, arguendum &c. Ergo scriptura est norma vnica omnium controuersiarum. Scriptum est: Est, qui vos accusat Moyses: ergo scriptura est iudex omnium controuersiarum. Scriptum est: sermo Dei est discretor (criticus) cogitationum: ergo sermo Dei est iudex omnium controuersiarum. Ego de forma hic abiungo, & Catoniana parodia tibi acclamo: *Omnia si perdas, Formam seruare memento: Qua semel amissa, non est quod perdere possis.*

Volebam abiungere, sed adiungendum est & hoc. Speras fore, vt Clemens octauus formam Dialecticam canonizet: & prope sanctam Catharinam Philosophorum sub Papatu patronam collocet. Falleris

Hunni; iam eſt Canonizata; non à Papa; Sed à verorum Theologorum & Philoſophorum ſchola: huius enim eſt has Diuas *Canonizare*: quæ ſe tanto honore nõ dignatur, vt ad ſanctam Catharinam in cœlũ transferatur. contenta eſt Lyceo; & Eruditorum gymnaſio: Hoc pro cœlo habet & inhabitat: Quod S. Catharinæ clientes eſſe deſiiſtis: non miror, triplici nomine: 1. quia nec Theologi, nec Philoſophi eſtis, quorſum ergo ſcholis patrociniũ S. Catharinæ Philoſophę & Theologæ inclytę? 2. Quia Veneris; Cereris & Bacchi mancipia eſtis? Quid ergo vobis cum patrocinio S. Catharinæ? 3. Quia Catharinæ Borrhæ aut filij aut nepotes eſtis. Quid ſeu nepotibus ſeu filiis ſacrilegæ meretricis Catharinæ Borrhæ cum caſtiſſima virgine Catharina, Coſti filia? Ne digni quidem eſtis tanta patrona, etſi indigi, qui in locum virginis tam ſanctę & doctę ſubſtituiſtis adulteram tam flagitioſam & inſipientem. Vtebatur facultas Philoſophica wittebergenſis Academiæ ante paucos adhuc annos ſigillo, vt vocant, in quo imago D. Catharinæ erat, vt ex fide dignis cognoui. Fortaſſe iamdum Superintendens es, accinuiſti illud: *veteres migrate coloni*: & date locum Catharinæ Borrhæ. Sed vix puto futurum vllum Philoſophiæ ſtudioſum aut candidatum, qui Thaidem illam ſuo in vitæ doctrinæque teſtimonio circumgeſtare velit, quid enim vir probus ſtatuat de illo, cuius teſtimonium meretricis imagine obſignatum monſtratur.



Textus Epiſtolæ.

NOn minus certè conuicti fuerunt, circa alterum illud principale punctum diſputationis, an ſcriptura ſola ſit iudex omnium controuerſiarum religionis, illo præſertim argumento D. Gretſeri: omnis iudex ita debet ſententiam dicere, vt altera pars litigans euidenter ſciat, ſe vi-

ciſſe

cisse, altera pars euidenter sciat se caussam amisisse, quantum est ex parte illius iudicis: hoc autem scriptura non potest. Ergo scriptura non est iudex, &c. Maior propositio ita euidens est, vt nec aduersarij quidem eam negare ausi fuerint, minor experientia apertè comprobata est, cum apertè constet, exorta aliqua in fide controuersia, vtramque partem litigantem, non obstante scripturæ sententia, censere se scripturæ iudicio vicisse. Ad quod argumentum aliud responderi non potuit, quàm quod in extremo primùm iudicio pars errans sit intellectura se scriptura iudice damnatam esse. Quod perinde est ac si dicerent, scripturã in hac vita iudicẽ esse non posse, quod quidem argumentũ intendebat. Quod si nostræ partis Theologis integrũ fuisset aliquas adhuc suæ probationis classes persequi, præsertim quartã illã, qua probandũ erat quod Ecclesia solũ Catholica sit vera Ecclesia, atque adeo iudex cõtrouersiarum religionis, nõ dubito, quin aduersarij ad extremã planè desperationem adacti fuissent. Interim ex his, quæ breuiter commemoraui, satis intelligis, quanta sit vanitas & impudentia aduersariorum, dum (vt ais) victoriã ex disputatione iactitant, tanquam si causã euicissent. Certè Prædicãtes Ratisbonæ tam impudentes esse ausi non sunt, ne scilicet ma-

cet manifesti mendacij palam tot testibus argue-
rẽtur, quot ex hac ciuitate præsentes disputationi
interfuerunt. Hortati quidem sunt populum pro
cõcione ad agendum Deo gratias pro felici dis-
putationis euentu. Sed quid agerent miseri?
**Sie seyn auffs wenigst fro daß mans noch im
Landt leidt/vnd nit gantz vnd gar vertreibt.** Ne-
que verò eiusmodi rumoribus mouentur, nisi illi
qui hæreticorũ malitiã aut nõ norunt, aut fouent.
D. Hunnius certè, quẽ antea virum doctũ & cor-
datum existimabã, suam apud me existimationẽ
planè amisit, cum nihil magis ex tota disputatio-
ne intellexerim, quàm eius artem omnem in ter-
giuersando sitam esse.

Quòd autem scripseras spargi passim D. M.
Conradũ in Curia publice conuictũ aliquot men-
daciorũ, id simillimũ est iis, quæ ego etiã de ipso
audiui sparsa esse, quòd videlicet flexis genib. ve-
niam deprecatus fuerit, & postea exulare iussus.
Certè D. Conradus, quocũ ipse cõuersatus sum
Ratisbonæ, viuit feliciter, & similia aduersariorũ
mendacia ridet: nec dubito, quin ipse pro se breui
luculenter responsurus sit. Id solum iam addo, ꝙ
ipsomet referente intellexi, nimirũ inter alia locũ
quendã Lutheri ita pudendũ & spurcitiæ plenũ
Prædicantib. fuisse exhibitũ, in eo priuato con-
gressu

gressu (non autem in Curia, vt mendax ille scriptor euulgauit) vt & ipsos quoq; Prædicãtes, in quibus alioquin exiguus pudor, puduerit legere. Atq; hæc breuiter quidem nõ pro rerum copia, sed pro temporis mihi concessi breuitate & negotiorum plurimorum, quibus distineor, multitudine, satis prolixè: aliàs cum per tempus & negotia licuerit, plura. Ratisbonæ mense Decembri. ANNO, 1601.

NOTÆ IN NOTATIONES HVNNIANAS.



SYllogismum D. Gretseri prostrauisti profectò veluti cœlesti fulmine, vt tu hic meus Salmoneus tonas, fulguras, & fulminas; Caue nè nouus Remulus *fulmineo pereas imitator fulminis ictu*. Prostrauisti, inquam, quia primo concessisti Maiorem, negata Minore, postea pondere pressus iniquo, concessisti largè & prolixè Minorem, negata Maiore. de quo plura nuper D. Gretserus in suis Digressionibus, quæ me coërcent ne longius digrediar. Ego tibi vitio dare non possum; quod egisti, si non doctè, saltem cautè, tam minorem, quàm maiorem tangere renuens, aut *pendente gradu, quasi super aristas aut oua* incederes, tangens. *Cautus enim metuit foueam lupus, accipiterq; suspectos laqueos, & opertum miluius hamum* Ego si tuo loco sedissem, negassem statim ab initio istam Maiorem: Omnis Iudex quando à partibus litigantibus aditur, ita debet dicere sententiam, vt altera pars euidenter sciat, se causam obtinuisse, quantum est ex parte huius iudicis, altera euidenter sciat, se caussam amisisse, quantum est ex parte huius iudicis, siue iustè siue iniuste. Ego negassem istam Maiorem, quia fieri potest, vt vtraq; pars aut, si sint plures partes, omnes simul causam amittant, eaq; adiudicetur alicui, qui his partibus litigantibus sit ignotus: vt V. G. Si Lutheranus & Caluinista accederent ad controuersiarum iudicem, super quæstione de re Eucharistica, nec Lutheranus causam obtineret, nec

Caluinianus, sed vterq; causa caderet, & tertiæ cuidam parti victoria reseruaretur. Item, si cum Anabaptista iudicem controuersiarum adires propter controuersiam de pædobaptismo, vterq; causa caderet: Anabaptista, quòd negaret infantes esse baptizandos; tu, quia affirmares ideo baptizandos, quòd *actualiter* credant. Ille ergo damnaretur propter assertionem, tu propter assertionis causam. Prætereo alia exẽpla, quia ex his satis planũ fit, Maiorẽ non esse liquidò verã. Quare igitur è vestigio non negasti? Sed si negasses, tunc, opinor, D. Gretserus statim quod deesse visum fuisset, addidisset in hunc modum. Omnis iudex, quando aditur, ita debet dicere sententiam, vt altera pars euidenter sciat, se caussam obtinuisse, quantum est ex parte huius iudicis; altera, se causam amisisse quantum est ex parte huius iudicis siue iustè, siue iniustè, aut si neutra pars rectè sentit, aut ius ad rem controuersam habet, tunc ita debet dicere sententiam, vt vtraq; pars euidenter sciat se causam amisisse, quantum est ex parte huius iudicis, eamq; alteri cuidam reseruatam esse, quantum est ex parte huius iudicis. Hæc appendix statim ad maiorem addita fuisset, si propter similes casus negata fuisset.

Cæterum tu non ideò negas, sed quia stolidissimè tibi aliisq; persuades, hoc non esse officium iudicis in hac vita, & in hoc foro, in quo nunc versamur, & in quo nunc controuersiæ excitantur & agitantur. Et ad hanc stolidissimam tuam phantasiam cohonestandam adhuc stolidius adducis aliqua testimonia planè more & ritu diaboli, qui cùm CHRISTO suaderet, vt se de piñaculo templi præcipitaret, subiungit: Scriptum est, quia Angelis suis mandauit de te, &c. Quasi locus ille scripturæ pertineat ad illum, qui se ex alto in imum deturbat; quasi huic promissio illa sit facta, vt omnis nocumenti expers maneat, quippe ab Angelis subleuandus, & adiuuandus, ne corpus ad terram allidat, & elidat. Ita tu: *Qui non credit, iam iudicatus est: ergo iudex controuersiarum huius vitæ & fori, non debet ita dicere sententiam, vt altera pars euidenter sciat se causam obtinuisse, altera se amisisse.* Quare, quando aliter non poteras, non soluisti argumentum eo modo, quo supra dicebas, Diabolum soluere solitum argumenta in forma sibi proposita? Certe paucioribus te extricare non poteras. Nosti autem *frustra fieri per plura, quod fieri potest per pauciora.* At fortassis ita soluisti argumentum, vt à tuo Stercutio Doctore edoctus es. Sed amoliar me ab hac Camarina. Insusurrat Poëta, πολλάκι μὲν τὸ κακὸν κατακείμενον ἔνδον ἄμεινον. *Malum intus delitescens sæpe melius est.* At

vel

vel inuitus retrahor propter *electum* Diaboli *organum* beanum Martinum Lutherum (sic enim legendum ex veteri codice, non *beatum*, vt scribit Prædicans) flagitiosæ & stercorariæ recordationis; propter electum istud κοπροθέσιον & ἀφοδευτήριον, propter istum communem ἀπόπατον, quò, velut in cloacam, omnes sordes confluxêre: propter istum Islebicum Copronymum, Prophetamq; Copronymianum & latrinarium, cuius sordes & stercora in gemmas mira metamorphosi transformare vult noster Hunnianus Naso. Qui cùm inaudisset Prædicantes Symmistas suos à M. Conrado Andreæ in priuato Colloquio Ratisbonæ in ruborem datos, propter locum quendam Lutheri nimis mysticum, quem Prædicantes legere non ausi corã Serenissimis & Illustrissimis Principibus: *Quæso*, inquit, *legite Serenissimo vestro Principi caput 16. & 23. Ezechielis & conferte ea cum his, quæ D. Lutherus scripsit.* Quid tune impudens caput *merdas* & *stercora* & *cacationes*, quibus Lutherus tomos suos vbique obleuit, & *crepitus*, quibus omnia Lutheri volumina personant, conferre audes cum vocibus Spiritus sancti per Ezechielem emissis? Quid in illis capitibus Ezechielis turpe, si modũ loquẽdi spectes? Quid quod non à Principe & corã Principe legi possit? At videã illam frontẽ, quæ sine mutatione legere & recitare possit obscœnissima, turpissima, & fœdissima dicta Lutheri, quæ ex tomis eius collegit D. Pistorius. Ne tua quidem frons, licet attritissima & perfrictissima sine aliquo verecundiæ signo id præstare valeret. Quis sterces, quis stercutius, quæ Cloacina, qui Satyri, qui Fauni, qui Panes, qui Sileni, qui Priapi magis spurcidica dicta dixerunt & pleno ore egesserunt? Erat olim Hierosolymis porta *sterquilinij*: Sub hac satum & natum crederem Lutherum, si non Saxo, sed Palæstinus fuisset. Ouidius de se puero: *Quicquid conabar dicere, versus erat.* Lutherus nouus iste ex Batrachomyomachia βορβοροκοίτης. *Quicquid conabar dicere, stercus erat*; *Cypris* erat, *Phallus* erat; & id genus alia ex mediis ganeonum & luparum gurgustiis hausta. Quod M. Conradum Andreæ vocas *canem impudentem*, nihil aliud respõdet, quàm illud eximij vatis. *Mordear opprobriis falsis, mutemq; colores? Falsus honor iuuat, & mendax infamia terret, quem nisi mendosum, & mendacem?* Si Lutheranum responsum Lutheranumq; balsamum halans desideras, dabit id cum Demetrio dicere solito: *Eodem loco sibi esse voces imperitorum, quo ventris crepitus, quid enim, aiebat, mea refert, sursum isti, an deorsum sonent.* Hæc ex myrotheciis tui Cacademici Schesippi Lutheri.

Dicis ad extremum, *famam de te sparsam, quasi te suspendisses, literamq;* longam ex corpore tuo fecisses: Equidem fama hæc ad me nunquam peruenit; si tamen vera cecinisset, non adeò vehementer factum tuum admiratus fuissem. Neq; enim primus aut vltimus Prædicãs fuisses, qui se pensilẽ fecisset. Et potuisses defendi exẽplis biblicis Iudæ & Achitophelis; ego adiecissem epigramma, forsan non procul à Musis & Apolline natum. Imò iam feci, sed non promo, ne tibi desiderio tam festiui Epitaphij inijciam desiderium restis. Iuberem te benè valere, sed ais te *rectißimè valere*. Quod ergo habes, id tibi precari superuacuum fuerit. Sed vide, *ne, si te populus sanũ, rectéq; valentem dictitet, occultam febrim sub tempus edendi dißimules, donec manibus tremor incidat vnctis. stultorum incurata pudor malus vlcera celat.*

Tandem iterum triumphum tibi decernis, Deoq; pro victoria gratias agis. Ergo *lætos molire triumphos, & Pæana voca, nitidaq; incingere lauro. Tuq; dum procedis, io triumphe non semel dicemus, io triumphe ciuitas omnis, dabimusq; Diuis thura benignis*: nisi mauis illud à militibus Cæsari, per Gallicum triumphum, acclamatum. *Vrbani seruate vxores, barbatum hircum adducimus.* Occasio Hunni obtigit, *vt liberet ex populo Prætor te.* Forsan cum Plautino Gripo nunc ratiocinaris de futuris. *domum instruam, agrum, ædes, mancipia, nauibus magnis mercaturam faciam. Apud Reges Rex perhibebor. Pòst animi causa mihi nauem faciam, atq; imitabor Stratonicum, oppida circumuectabor, vbi nobilitas mea erit clara, oppidum magnum communibo, ei ego vrbi Hunni indam nomen. Monumentum meæ famæ & factis, ibiq; regnum magnum instituam. Ad summam, vno minor* ero *Ioue, diues, liber, honoratus, pulcher, Rex deniq; Regum*; Interim tamen antequam hæc fiant sæpè adhuc cum *aceto pransurus es, & sale, sine bono pulmento*, non tamen sine bona cereuisia wittenbergensi.

FINIS.